

poenitentes (ut facile contingit) existiment confessarium tacentem consentire, et probare ea quae ipsi exposuerint : unde ansam sumerent alios, cum publico scandalo, decipiendi.

2º Si confessarium interrogat : nam; cum interrogans jam coepert laborare ignorantia vincibili, dissimulatio confessarii esset erroris approbatio. Non est tamen plus respondendum quam quod praecise rogatur. Sic si quis, obstrictus simplici voto castitatis, interroget an matrimonium propter votum fuerit invalidum et an teneatur uxori reddere debitum, confessarius poterit respondere validum fuisse et debitum reddendum esse, tacens de obligatione non petendi, etiamsi noverit matrimonium ob aliquod impedimentum dirimens esse nullum. (S. Alph. n. 616)

3º Si brevi sit monitioni obsecuturus, quamvis in principio non acquiescat. Attamen, si poenitens sub peccato mortali tenetur ad aliquid adeo difficile ut non credatur tunc aequo animo recepturus et alia vice melius suscepturus judicetur, poterit relinquere in sua bona fide, quae a peccato excusat, et admonitio servari in meliorem opportunitatem, ne deterritus abstineat a confessione et majus detrimentum patiatur. (Lugo, l. c. n. 28)

Si dubium est utrum profutura an nocitura sit admonitio, comparetur utilitas et damnum, et gradus timoris ac spei ; omnibus autem pensatis illud eligatur quod praeponderare judicatur. Non erit tamen gravis obligatio alterutram partem sequendi, nisi monitio vel silentium videretur notabiliter plus conducere ad bonum poenitentis vel publicum. (Lugo, l. c. n. 31) Si dubium manet utra pars praeponderet, potius abstinendum est a monitione : quia mala formalia magis vitanda sunt quam materialia. (S. Alph. n. 616)

360. V. Confessarius, tamquam **animarum medicus**, prudenter investigare debet causas peccatorum, praesertim graviorum, et congrua remedia praescribere. Attamen cavendum ne zelo praepostero abreptus limites suae potestatis praetergrediatur. Nam nullatenus constitutus est legislator, nec donatus est potestate qua quidlibet honestum et poenitentis saluti vel perfectioni profuturum praecipere queat. Quare, praeter poenitentiam, nihil potest sub peccato praecipere poenitenti : nam in reliquis monitis dandis jam non se habet ut judicem, sed unice ut medicum "cujus non est praecipere, sed consulere et declarare aegrotō quae sint media necessaria vel utilia ad sanitatem tuendam vel recuperandam." (Lugo, Resp. Mor. l. 1. dub. 28) Hinc :

1º Confessarius sub gravi tenetur ad absolvendum poenitentem, alioquin dispositum, qui vult sequi opinionem probabilem, licet opposita videatur confessario probabilior. Cfr. Vol. I. n. 79.

2º Boni confessarii est, exemplo Christi Dni (Matth. XIX, 16 seqq.), efficere ut poenitentes clare percipient quid ipsis tamquam stricta obligatio, quid vero tamquam merum consilium proponatur : ne poenitentes ex erronea conscientia peccent, dum omittunt quae falso ut praecepta apprehenderint, vel etiam, metu nimii oneris, a sacramentis abstineant. Id praesertim cavendum est ubi de occasionibus periculosis erekroque occurrentibus, puta lectionibus, spectaculis, etc. monita dantur. Ut scite scribit Ball. P. (n. 805) : "Curet confessarius ut poenitens servet tum leges divinas, tum ecclesiasticas certas, et habebit optimum christianum." Id tamen minime impedit quominus poenitentes, pro mensura gratiae quam accipiunt, ad perfectiora stimulentur. Sed in his proponendis confessarius, Christum ipsum imitatus, se habeat ad modum suadentis et allicientis, minime vero imperantis aut obtrudentis.

§ 3. DE OBLIGATIONE INTERROGANDI POENITENTES.

361. I. Confessarius nihil debet interrogare poenitentem, si ex hujus condicione et ex natura confessionis factae prudenter judicat poenitentem integre confessum esse. Ita regulariter obtinet in audiendis sacerdotibus, religiosis aliisve personis piis et satis instructis, quae non ita pridem confessae sint. Ratio est : in his rebus sufficere illam probabilitatem qua in aliis rebus magni momenti contenti sumus ; amplioribus autem interrogationibus redi confessionem onerosam. (Suar. de Poenit. disp. 32. sect. 3. n. 3 seqq.)

II. Confessarius per se sub gravi tenetur ad interrogandum quotiens probabiliter judicat poenitentem, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, deficere in manifestatione conscientiae sua. Ratio desumitur ex **officio judicis** quo fungitur. Absolvendo enim profert sententiam non solum circa peccata quae audit, sed circa personam quam judicat reconciliandam esse Deo et, quantum in ipso est, cum Deo reconciliat. Hanc autem sententiam prudenter pronuntiare nequit, nisi cognoscat plene statum conscientiae poenitentis et viderit nihil obstare hujusmodi reconciliationi. (Suar. l. c.; Lugo, de Poenit. disp. 22. n. 19) Consonat Rituale Rom. (t. III. c. 1. n. 15) : "Si poenitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget." Defectus autem plenae accusationis provenit praesertim ex ingenii ruditate, saltem circa morales et religiosas obligaciones ; ex defectu examinis confessioni praevii ; tandem e malo rubore quo poenitens peccata graviora vel quae, pro condicione sua, ut magis probrosa habet, confiteri non audeat. Quare regulariter aliquibus inter-

rogationibus complendae erunt confessiones eorum qui semel tantum vel bis in anno accedunt, puerorum et aliorum qui, propter speciale rationem, uni e predictis defectibus obnoxii censeantur.

Manifestum est graviorem fore culpam confessarii ob cuius voluntariam neglegentiam poenitens admittat defectus culpabiles et nocivos, quam illius qui tantum inculpabiles defectus sine ulteriori investigatione praetermittat. Immo probabilis non foret gravis culpa confessarii qui omitteret tantum alias interrogationes circa numerum peccatorum et species infimas bona fide reticita. Nulla enim hic appetit gravis irreverentia erga sacramentum, neque ullum grave poenitentis damnum. Lex autem quae poenitentem sub gravi adstringit ad exprimendum numerum et speciem peccatorum, prout ea cognoscit, non videtur cum eodem rigore applicanda confessariis, quorum munus nimis onerosum foret. (Ber. Prax. Conf. n. 4704)

362. III. Quo clarius pateat qua **prudentia in interrogationibus utendum sit, adverte:**

1º Confessarius juvare tantum debet poenitentem, cui principaliter incumbit officium peccata sua integre declarandi. Nequit igitur stricior esse illius obligatio ad interrogandum quam hujus ad sese examinandum. Proinde quae supra (n. 302) de humana tantum diligentia in hoc examine requisita dicta sunt, a fortiori applicanda sunt praesenti officio confessarii temperando. (Lugo, disp. 16. n. 590). „Quare pauciores et crassiores interrogations debent fieri homini inculto et barbaro, quales sunt Indi Occidentales, quam alicui Europaeo; levius autem examinandus est rusticus noster quam homo civilis; levius qui aegrotat et difficiliter potest ad subtiliora attendere propter capitis debilitatem, quam homo sanus et robustus; denique (quod notandum etiam est) levius et minus exacte interrogandus est qui plura habet peccata, quam qui pauciora.“ (Lugo, l. c. n. 594)

2º Confessarius non debet conari ut poenitens confiteatur sicut ipse, pleniorem cognitionem numeri et speciei habens, confiteri deberet si eadem peccata admisisset, sed tantum ut confiteatur ea ratione quae, pro statu conscientiae poenitentis, eidem est moraliter possibilis. (n. 284)

3º Cavenda sunt vitia quae per excessum a confessario interrogante committi possunt (Bus. ap. S. Alph. n. 629): a) Ne examen sit curiosum de non necessariis, unde confessarii existimatio, sacramenti dignitas et poenitentis profectus minuantur, ex. gr. ne petatur poenitentis nomen. — b) Ne sit indiscretum, ex. gr. de iis quae moraliter certum est a tali non solere committi, vel ex quibus discat peccare poenitens, vel de numero nimis anxie, si ex dictis probabiliter aestimari possit. — c) Ne sit intempestivum; et sinatur poenitens prius se explicare quantum potest, ne importunitate terreatur.

Speciatim in materia castitatis interrogations debent esse paucae et cautae, ne confessarius vel occasionem det investigandi aut traducendi confessionem, aut ignorantem doceat aut offendat, aut se vel illum periculo exponat. Ac si haec timeat, potius pati debet aliquid deesse integrati materiali. Et quidem, si in hac materia negantur cogitationes, non opus est progredi ad opera: rudiores tamen negant cogitationes, verba et opera rogati fatentur, quod illas non aequae agnoscent aut advertant. (Bus. l. c. n. 632) Praesertim prudenter procedendum cum junioribus utriusque sexus. (Rit. Rom. l. c. n. 16) Ideo omnino perperam ageret confessarius, qui puerum confitentem se turpia egisse, immodestum fuisse, etc., interrogaret de pollutione vel sodomia. Sed crebro pueri et puellae qui, e reliqua confessione, bona conscientia praediti videntur, turpes vero actus vel sermones accusant, prudenter interrogandi erunt quid egerint vel dixerint, ne pergant tamquam gravia peccata habere quae nullatenus castitati adversentur.

Abstinendum quoque a quaestionibus quibus poenitentes recte respondere vix possint. Ideo non sunt interrogandi rudes, utrum aliquid a se factum dictumve tamquam mortale an tamquam veniale habuerint. „Hi enim multotiens respondent ut casus sibi verba suggerit; et hoc experientia testamur (ut ego millies observavi). Quodsi confessarius paulo post iterum interroget, respondent modo toto a primo diverso. „ (S. Alph. Prax. Conf. n. 20) Importuna quoque foret interrogatio vel monitio de malitia specifica quam poenitens ignorat, et cuius notitia eum non videatur a peccato deterrita. Ita opinatur S. Alph. (l. c. n. 39) non esse monendos de malitia adulterii rudes qui hujus peccati consuetudinem habent et speciale adulterii malitiam ignorant, ut eam, teste S. Doctore, illo tempore et loco communiter ignorabant. Idem dicendum videtur de pluribus malitiis specificis diversis in materia luxuriae, quae communiter, etiam nostris temporibus, ignorantur. Ita multi non apprehendunt malitiam majorem in copula illicita onanistice habita ad vitandum conceptionis periculum, quam in eadem secundum naturam consummata. Quare non censemus eos de hoc discrimine interrogandos vel monendos esse.

363. IV. De **practica ratione interrogandi**, sufficient haec pauca:

1º Communiter utilissimum erit ut ab initio unusquisque poenitens *ignotus* interrogetur de tempore ab ultima confessione elapsi. (Lugo, disp. 22. n. 14) Ceteras quaestiones, ex. gr. num poenitens sit matrimonio junctus, num absolutionem in ultima confessione acceperit, etc., praestabit differre donec poenitens suam accusationem fecerit: nam saepe inutiles fient, quia responsum e peccatorum expositione patebit et, si facienda suit, praestat eas dividere quam hominem ab initio quaesitis obruere.

2º Monent communiter DD. (S. Alph. n. 607) melius esse ut ad singula peccata quae accusat poenitens fiant interrogationes requisitae et monita deatur; eo quod magnum est periculum oblivionis, si omnia ad finem confessionis remittuntur. Nihil tamen impedit quominus confessarius aliter agat, si existimet abesse periculum oblivionis, quia confessio non ita longa futura videatur, et experientia noverit se, absque nimia difficultate, in fine recordari quid sit interrogandum vel monendum.

3º Saepe proderit poenitentes, qui timidioris ingenii sint, quales esse solent pueri et mulieres, in fine confessionis interrogare num aliquid aliud ipsorum conscientiam oneret et benigne animum addere ut onus illud in sinum confessarii deponant. Nam "frequenter quae prae confusione confitens taceret, interrogatus revelat." (S. Th. in 4 sent. dist. 19. q. 2. a. 3. ql. 3) Hac industria benignitate plures confessiones sacrilegæ vel anteverti vel reparari poterunt. Praecipuum tamen medium huic tanto malo arcendo situm censemus in confessariis extraordinariis, praesertim ignotis, qui, quotiens id fieri poterit, poenitentibus suppeditentur in iis locis in quibus felix copia ordinarie desit. Diligenter autem cavendum est confessario ne poenitentes suos ordinarios, etiam quos maxime pios existimet, quovis modo etiam indirecto prohibeat ab alio confessario adeundo: nam saepe hac imprudenti agendi ratione diuturnis sacrilegiis occasionem praebere potest. Cfr. Zelle, S. J. *La Confession d'après les grands maîtres*, l. 2.

364. V. Graviter peccat confessarius qui, sub praetexu procurandæ complicis correctionis, ejus nomen a poenitente exquirit, denegata absolutione si istud manifestare nolit.

Id liquido constat e variis Constit. Bened. XIV, speciatim e Const. *Ad eradicandum* (18 Sept. 1746), qua ad universam Ecclesiam extendit reprobationem et poenas quibus paulo antea hujusmodi proxim, in Portugallia vigentem, perculerat. Ratio patet ex odio quod iste abusus aptus est in sacramentum poenitentiae concitare. Excipienda sunt adjuncta quaedam valde rara, in quibus haec praxis liceat, ut innuit ipse Bened. XIV (Const. *Suprema*, 7 Jun. 1745), dum de iis qui eam universe introducere conabantur dicit: "Cum revera, opiniones hujusmodi vel falsas et erroneas sequendo vel *veras et sanas male applicando*, perniciem tam suis quam poenitentium animabus consiscerent." Casus autem in quo id *juxta* *veras et sanas* DD. opiniones liceat, is tantum esse videtur in quo poenitens jam aliunde ad nomen complicis confessario manifestandum teneatur, puta quia, ad avertenda gravissima damna tertii vel *communia*, aliud medium non suppetit quam ut personae confessarii id *nomen* reveletur, ex. gr. si confessarius esset

simul praelatus qui solus efficaciter malo imminentि occurrere posset. (Lugo, disp. 16. n. 432) Excommunicationem qua percelluntur docentes hanc proxim universe licere, habes n. 593.

Non tamen impeditur confessarius quominus illas interrogationes faciat, quae ipsi videantur necessariae ad servandam integritatem confessionis vel quominus monita convenientia de occasione proxima tradat, quamvis praevideat complicem facile cognitum iri, petendo ex. gr. num complex habitat in eadem domo, etc. (S. Alph. n. 491)

Si confessarius interrogaret quidem de nomine complicis, non autem intentaret absolutionis negationem, non haberetur casus tam severe a Bened. XIV reprobatus. Attamen regulariter haec praxis graviter peccaminosa foret: nam etiam hac ratione sacramentum odiosum reddetur, et poenitens sine justa causa incitaretur ad infamandum complicem, siquidem hac notitia nullatenus uti posset confessarius extra confessionem, ut patebit ex dicendis n. 387.

365. QUAER. Quid agendum sit confessario qui novit poenitentem commisisse grave peccatum quod ab eo reticeatur vel negetur.

RESP. 1º Si sacerdos scit evidenter poenitentem sacrilege negare peccatum illud, nequit eum absolvere, utpote manifeste indispositum. Talis autem evidentia, omnium consensu, habetur quando confessarius propria experientia rem apprehendit, ex. gr. quia vidit occidentem, audivit blasphemantem. Sed etiam in hoc casu evidentia evanesceret, si prudens dubium esset num poenitens gravitatem peccati percepisset, num istud jam apud alium confessus esset, num haberet vel bona fide putaret se habere motivum ad reticendum peccatum.

2º Si sacerdos peccatum poenitentis novit ex aliorum testimonio, debet sane prudenter interrogare hominem ut eum ad confitendum crimen suum adducat. At si poenitens peccatum celat vel negat, probabilius absolvere debet. (Lugo, disp. 22. n. 22; Ball. P. n. 890 seqq.) Ratio est, quod confessarius positus inter testimonium poenitentis et testimonia aliorum, tenetur ad credendum potius poenitenti. Etenim "non potest maiorem certitudinem accipere quam ut subdito credit, quia hoc est ad subveniendum conscientiae ipsius; unde in foro confessionis creditur homini et pro se et contra se, non autem in foro exterioris judicii." (in 4 sent. dist. 17. q. 3. a. 3. ql. 5) Supponere ergo debet alios fuisse deceptos vel aliam adesse causam ob quam poenitens non teneatur ad peccatum accusandum. Practice tamen potest denegare absolutionem, sequendo opinionem S. Alph. (n. 631) qui scribit se non audere absolvere, in casu quo testes tam graves peccatum detulissent ut moralis certitudo haberetur: eo quod regula de fide adhibenda poenitenti pro-

cedit tantum in re dubia. Sed cave ne hanc opinionem S. Alphonsi, contra ejus mentem, applices casibus plerisque, in quibus de peccato patrato mera probabilitas habeatur.

3º Si sacerdos peccatum poenitentis novit ex alterius confessione, puta complicis, potest tantum generatim interrogare, ne sit periculum revelationis, vel ad summum speciatim interrogare de eodem peccato si ex iis est quae communiter a talibus personis committuntur, ex. gr. tactus in honesti inter sponsos. Neque tunc expedit petere licentiam a complice, aut sponte oblata uti ad alterum arguendum. Quodsi iste tacet vel negat, locus est eidem controversiae de qua in praecedenti hypothesi dictum est : eadem enim sunt rationes. Attamen si quis sequitur S. Alph. sententiam, debet omnino occultare denegationem absolutionis ne prodatur sigillum sacramentale, ideoque pro absolutione quasdam preces recitet.

§ 4. DE ABSOLUTIONE DANDA, NEGANDA VEL DIFFERENDA.

Punctum I. Regulae generales.

366. I. Confessarius sub gravi tenetur ad absolutionem concedendam ei qui legitime confessus est et rite **dispositus** **apparet**.

Etenim etiam ille sacerdos qui nulla obligatione adstringitur ad confessionem audiendam, injuriam faceret poenitenti si ei, post confessionem rite peractam, absolutionem denegaret : ubi enim eum ad confitendum admisit, quasi-contractum cum eo inicit ut, si poenitens partes suas expleat, confessarius quoque potestatem suam absolvendi in ejus favorem exerceat. Attamen ubi poenitens qui sine difficultate posset peccatum determinatum accusare confessionem mere genericam institeret, neque potenti confessario distinctiorem accusationem facere vellet, non teneretur confessarius ad eum absolvendum : confessarius enim ubi ei aures praebuit non intendit se obligare ad eum absolvendum nisi is, pro more communiter recepto, accusationem distinctam fecerit, quamvis ei, si velit, absolutionem impetrare possit. (n. 262)

Hinc tamen non sequitur absolutionem semper dandam esse statim cuilibet poenitenti disposito, qui in ejus dilationem consentire noluerit. Nam, licet poenitens habeat jus ad absolutionem ratione confessionis institutae, non habet semper jus ut statim absolvatur. Quandoque enim rationabiliter judicare potest confessarius brevem absolutionis dilationem animae poenitentis profutaram esse, videlicet salutari terrore concussus, melius agnoscat gravitatem peccati et necessitatem emendationis. (Lugo, disp. 14. n. 169; S. Alph. n. 462) At si deesset haec ratio

spiritualis utilitatis pro poenitente, injuste ageret confessarius qui absolutionem pro mero arbitrio differret.

II. Confessarius sub gravi tenetur ad absolutionem denegandam iis qui certo carent **dispositionibus requisitis**, " quales sunt qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitiis deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere et vitam in melius emendare nolunt. " (Rit. Rom. tit. III. c. 1. n. 22)

Attamen perperam agit confessarius qui poenitentem, statim atque imparatum ad absolutionem esse agnovit, recedere jubet. Nam ex officio medici spiritualis quo fungitur, tenetur poenitentes diligenter adjuvare ut ad debitas dispositiones perducantur. (S. Alph. n. 608) Quare de confessario qui poenitentes imparatos disponere neglegit, acute Leo XII (Cons. Caritate Christi, 25 Dec. 1825) : " Quod si praestare praetermittat, inquit, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum quam ceteri ad confitendum accedere. "

367. III. Potior difficultas est in casu sane frequenti quo confessarius, etiam post diligentem conatus, **dubius haeret** num poenitens habeat dispositiones ad absolutionem requisitas. Ita distinguendum censemus :

1º Si dubium est **negativum**, seu si nulla probabilis ratio suppetit existimandi poenitentem rite dispositum esse, non potest regulariter absolutio dari antequam dubium istud solutum fuerit, ac proinde saltem differenda erit donec per inchoatam emendationem, per studium redeundi ad confessionem, etc., satis constet adesse quae requiruntur. Ratio est : imprudenter agere ministrum qui, nulla probabili ratione ductus, sacramentum nullitat, poenitentem damno spirituali exponat. Attamen absolutio sub condicione danda est etiam hujusmodi dubie disposito, quotiens dilatio eum periculo gravis damni exponit ; puta si poenitens diu caritatus est copia confessarii, si prudenter timetur ne poenitens jam non redeat ad confitendum et in peccatis suis tabescat (S. Alph. n. 432), si matrimonium suscepturus est, etc. Nam manifestum est ita provideri, quam optime fieri potest, poenitentis saluti ; neque irreverentia sacramento irrogatur, ut dictum est n. 116.

2º Si **probabile** est poenitentem esse dispositum, quamvis ex altera parte ratio detur ob quam de ejus dispositionibus prudenter dubitetur, prorsus opinamur absolutionem a confessario concedi posse. Quandoque tamen eam differre licebit, nempe si hujusmodi dilatio existimatur poenitentis animae profutura.

Ratio est : nihil amplius a confessario exigi quam ut prudenter, et